

OCTAVI SÆCULI

## AUCTORES ANNI INCERTI.

## ISIDORUS PACENSIS.

## NOTITIA HISTORICA IN ISIDORUM PACENSEM.

(Ex Antonio, Biblioth. Vetus Hispana.)

Si quid aliud in rebus nostris et inter auctores nostros implicatum et obscurum est, id quod ad Isidorum Pacensem episoopum attinet haberi debet. Fuit quidem inter alios cognomines (septem non minus scriptores sic appellatos (recte ne?) Pellizerius constituit). Isidorus vulgo dictus Pacensis a Pace Lusitanæ urbe (*Beja* hodie vocant), cui adhuc Mauris subjectæ (a) antistes præfuit: cuius nomen præsefert in codicibus mss. Complutensi et Oxomensi sic appellatum Chronicorum quoddam, barbarum quid sonans ab inscriptione ipsa, nempe *Epitoma imperatorum vel Arabum ephemeridu[m] una cum Hispanie Chronicu[m]*. Ita in editione unica, quam habemus, bujus Chronicæ a Prudentio Sandovalio Pamplonensi episcopo, una cum Idatii, Sebastiani, Sampiri, et Pelagii, Hispanie episcoporum, alias Chronicis, procurata.

Hæc historia (quæ veluti continuatio est Isidori Hispalensis præsulis Chronicæ, ut recte observavit Petrus de Marca vir doctissimus lib. II Hist. Benearnæ cap. 1) incipit ab æra 648 (sic emendandum est pro æra 549), sive anno 610, quo extincto Phoca Heraclius imperium suscepit; pertinquitque usque ad æram 792, sive annum Christianum 754, Constantini Copronymi imperii, non 10, ut editum est, sed 14. Aliæ epochæ annorum Arabicorum et mundi, eadem in editione, non huic anno, sed superiori convenienti 653: nempe annus mundi Eusebianus 5954, et Arabum, seu Hegyræ, 136. Quod chronologicis relinquimus.

Hoc vero tempore scriptam fuisse banc, ut auctor vocat, *Epitomam*, ex his illius verbis patet: *Fiant igitur (versus finem ait) ab exordio mundi usque in æram cœptam septingentesimam nonagesimam secundam*, etc. Prius autem eo tamen sensu, quamvis oī scuriore aliquantulum propter incorrectam lectionem ac scribilibeginum styli, sententia, *Æra 782 completa, atque incipiente jani tertia (dicere vult 785) Romanorum sexagesimas octavas (imperator) Constantinus Leonis filius post patrem imperio coronatur, regnans annis. Tot (corrigere, regnans annis tot; neque enim potuit aliter, quod regnatus esset annis vivus adhuc principes) cum auctor hec scriberet significare; ideoque ibi relicta ab eo fuisse lacunam credimus, aut ejus loco adverbium illud *tot*, quasi numerum postea subrogaturo *peractis a principio mundi usque in anno Constantini 10 (jam diximus 14 corrigendum) peragente 5954 annum peragente*: hoc est, qui tunc carrebat, opposuit annis *peractis*, barbaro, nempe sao, more. At quæ minus attendit vir cætera industrius, si quis alius inter historicos nostros, Ambrogius Morales, quem honoris causa semper nominamus, dum ad inferiorem ætatem, hoc est ad Garsias regis tempora qui anno nonagesimo duodecimo Legione regnare coepit Isidorum hunc refert: Sebastian-*

B noque Salmanticensi, alio ejusdem commatis historico, juniores facit. Nec mirum, cum revera is Isidori hocco Chronicon quod Sandovalius publicavit ejus nomine inscriptum nusquam viderit. Attribuit quippe hujus operis seu epitomes quædam Sebastiano nuper laudato Salmanticensi: quod qui attente observabant non semel deprehendent.

Alias ea quæ in Chronico leguntur Sebastiani, pro Isidorianis laudat. Seppissime vero Roderici Toletani, aut Luce Tudensis, aut Rhassis Arabis aliquoru[m]e testimonio utitur, ea referens quæ in Chronico seu epitome Isidori nunc habemus: quod utique non leviculpe ei fuisse, si antiquiore et æquali scriptore prætermisso, quatuor fere sæculis juniores historicos dicendo testimonio sisteret. Tandem aliqua, Isidorum laudans, memorat, quæ ab ejus hac epitome disparueru[m] (b). Joannes Vasæus vidit certe Chronicon hocce, atque passim ex eo, quæ quidem edita habemus, refert (c); desinitque eo uti ubi id absolvitur. Decerpit quoque inde quedam fragmenta ad Galliarum res pertinentia Andreas Quercetanus, et primo volumine *Gallia Historiorum* edidit, pag. 785, nempe ex Sandovalii editione. Rodericus certe Toletanus præsul adeo usus fuit Isidori hac historia, ut integra passim exscribat inde capita (d): cuius cum, Isidorianis verbis collatio haud parum sanandis Chronicæ bujus vulneribus conducere poterit. Nec solum in Hispaniæ, sed et in Arabum historiam bujus verba transtulit, computo ejus adhaerens, quod apud Isidorum, deinceps scripture erroribus, exactissimum est, ut Petrus Marca jam laudatus observavit (e). Exstant quidem in Hispania bujus historiæ, seu epitomes Isidorianæ aliquot mss. exempla.

Sandovalio, ut diximus, præsto fuere codices duo (f), alter Oxomensis ecclesiæ, absque auctoris nomine, alter Complutensis: quorum posterioris, atque item tertii jussu Francisci cardinalis Ximenii descriptio, D. Josephus Pellizerius regius chronographus, vir diligentissimus, exemplum quoddam suum se correxisse alicubi ait (g). Quartum vidit Petrus de Marca in biblioteca Parisiensis Navarræ collegii, ut ipse refert Benearnensis Hist. lib. II, cap. 1. Fortasse et in Lusitaniam penetrarunt alii; cum Andriæ Resendius in Antiquitatibus Lusitanis (Lib. IV), Isidori Pacensis opuscula horride, parumque culto, sermone, eaque imperfecta, et mendis senticosissimis, scatentia circumferri, à Pace urbe loquens adtaverint. Vereque ita est; cum auctorem hunc non minus propria et innata, quam ab exscriptoribus inficta vulnera miserrime debilitaverint.

Cur ergo accuratiorem aliam et luculentiorem hujus operis editionem invident nobis? qui otio et industria inter nostros valent, habentque ad manus, unde in publicum prosint, inutilia alia, aut quidem,

(a) Morales, lib. XII, cap. 40.

(b) Morales, lib. XIII-XV, *passim*.

(c) In Chron. Hispan. ad an. 612-747.

(d) Lib. II, cap. 17, 19, 20, 22; lib. III, cap. 12-15

et aliis, et in Hist. Arab. cap. 11 et aliis.

(e) Lib. II Hist. Benearnæ, c. 4.

(f) Meminat Sandovalius in epigraphe editionis.

(g) In Annal. Hisp. post Maurorum irruptionem, et in Biblioth. Pellizeriana, fol. 146.

non sic utilia, praetermittentes. Exspectari quidem hoc posset a laudato Pellerizo, amico nostro, qui potiori labore collationis et correctionis jam se esse functum ait (sed hic jam fato cessit cum haec in iudicem revocamus); aut a D. Gaspare Ivañez de Segovia marchione Acropolitano (et nunc Mondexensis); aut a D Joanne Luca Cortesio cive meo, cum haec scribimus uno ex iudicibus qui in regia Matritensi curia criminibus vindicandis invigilant: qui cum de harum antiquarum litterarum et Hispanae totius historie sit calle:issimus, optimoque codices mss. sive penes se, sive in amplissima et horum instructissima excellentissimi comitis de Villa-Umbrosa Castelle magni senatus presidis (nunc jam excellentissimæ comitissæ ejus viduæ) bibliotheca ad inanum habeat: si per negotia publica ei liceat, debebit utique, ut genio suo obsequatur, haec et alia vetustatis monumenta in publicum industria sua, hoc est, quam potest, integra et a mendis purgata, deponere (a).

Et quidem Isidorianum hoc si quod aliud e nostris Chronicou, opera ista indiget, ut propriis tantum suis stili plagis sedūm, quod erit sibi ipsi constare, in conspectum hominum iterum veniat. Propriis tantum suis stili plagis diximus; cum ambigi nequeat tale e manu auctoris exiisse. » portentum potius quam Chronicou (aut Joannes Vas:us [b]) adeo prodigiose scribit, et Gothicè potius quam Latine. » Quocum convenient, uti audivimus, Resendius, qui tamen barbare auctoris sermoni superaddita ac foris venientia agnoscit menda.

Sed quod de Isidori aetate diximus, verbis hujus ejusdem operis confirmatum, præter Moralis jam laudati opinionem, in controversiam forte venire faciunt codices, qui Isidoro Juniori hanc epitomen ascriptam habent: quo ipso *Junioris* titulo appellatur alias Isidorus Chronicus alterius universalis ab initio mundi scriptor, quem Hispalensem astruximus loco suo presulēm extitisse. Unde non tam hunc quam Pacensem (quem respectu Isidori Hispalensis eo senioris *Juniores* dictum existinabant) utriusque historie, tam universalis quam particularis, auctorem fuisse sibi persuasere ii quibus Isidorus Cordubensis episcopus Hispalensi antiquior, atque idcire dictus *Senior*, minus fuit notus. Quem incurrisse errorem eos qui generalem Historiam jussu Alphonsi regis X, cognomento Sapientis, composuere (c); atque item Joannem Egidium Zamorensem Franciscanum seculi xiv scriptorem (d), qui Historiam istam generalē ducem erroris habuit, minus mirandum est, quam hoc eodem bresisse vado Pelagium Ovetensem episcopum, duodecimi saeculi historicum; siquidem hic auctor est ejus operis sive Chronicci, ex variis chronicis coagmentati et usque ad etatem suam continuati. Qui sane auctor in præfatione ita scribit: « Charissimi fratres, si Chronicam haec quam aspicitis, bono (*non dono, ut excusum est [e]*) animo eam legeritis, invenietis quomodo junior Isidorus Pacensis Ecclesiæ episcopus, sicut in Veteri Testamento et Novo legit, et per Spiritum sanctum intellexit: ita ab Adam usque ad Noe; et usque ad Abraham, et David; et usque ad adventum nostri Redemptoris; et

(a) Isidori Pacensis Chronicou utcunque melius habitum vulgavit Matriti Franciscus Berganza Benedictinus 1729, et post eum cl. Florezius cum nonnullis vetustis codicibus collatum, t. VIII, a pag. 274.

(b) Chron. Hisp. cap. 4, num. 11.

(c) Part. II. cap. 50, pag. 242.

(d) Tract. 6 Adversariorum, qui est de philosophorum et Hispaniæ doctorum perspicacitate.

(e) A Pellerizo in Observation. ad Chron. Dulcidii Salmant., fol. 15. Barcinone, 1663.

(f) Sistimus Roderici verba quibus secundus de Rebus Hispaniæ liber clauditur, qualia in regiae bibliothecæ Matritensis codice circa annum 800 exarato leguntur, nimirum: « Et cum beatus Isidorus

A de iudicibus, sive et de regibus in Israel; et inde de Romanis regibus, sive imperatoribus, et de Vandals, et Alanis, sive et Suevis Hispaniæ regibus, sicut a majoribus et predecessoribus suis inquisivis et audivit plenissime scripsit. »

Quibus verbis non tantum generale sancto Isidoro Hispalensi attributum ab exordio rerum Chronicou, sed et Wandalorum, Alanorum et Suevorum historie eidem sanctissimo Hispalis præsuli ascripte, Pacensi episcopo, seu juniori Isidoro, adjudicantur. Quinimo cum *particularis* hujus, de qua nunc agimus, Pacensis epitome, tot inter chronographos, ex quibus systema suum historicum se confecisse Pelagius Ovetensis prodidit, nusquam meminerit; simile vero est quamdam partem generalis Chronicci jam landau fuisse ab eo hanc epitomen existimatam. Profecto quidem nec oculos nec mentem habent qui ab eodem pectore atque eodem calamo generale illud mundiale, ut ita dixerim, Chronicon, e nullo sermonis debone stamento turpe, sed bene Latinum, simulque barbarum hocc aliud, vix semi-Latinum, Pacensis Isidori nomine publicatum, derivare potuisse, sive aliquem sive oculis credunt.

Huic errori proximus error est vulgaris typis facta Roderici Toletani historie. Haec eam sine libri u cum beato Isidoro, hoc est Hispalensi, Gothorum originis usque ad quintum annum Synthile regis historiam ascripsisset; et sancto Hildefonso eorundem Gothorum, Alanorum, Wandalorum et Suevorum, a quinto Synthile anno usque ad octavum decimum Recesvinti rerum gestarum continuationem: subjunxitse creditur: « Et Isidorus junior, qui a principio mundi incipit Chronicona, usque ad octavum decimum Recesvinti annum fideliter prosecutus, et ad destructionem Hispaniæ per Arabes ipse scripsit. » Ita enim concluditur hic liber Roderici secundum in editionibus. Quod quidem glossema est, furciliisque hinc ejiciendum, idque a ms. libris abest: quod in ora Francofurtensis hujus historiæ editionis in Hispaniæ illustratae annotatur systemate; cum præsertim Hispalensem scrupulose Chronicou ab initio rerum, non utique Gothorum tantum temporis, jam can de eo egimus liquido ostensum fuerit; Isidori vero hujus Pacensis operum nullo, ad quæ ipse refert se, nebul in hac epilogiæ, qua de agimus, significetur ab illo usque primordio rerum historiam eum pertinxisse. Legerem plane libens Roderici testimonium istud inverso parum ordine, ut constet sibi, et sustineri possit: « Et Isidorus junior, quod a principio mundi incipit Chronicona, usque ad decimum octavum Recesvinti annum fideliter prosecutum (ab Hildefonso scilicet), et ad destructionem Hispaniæ per Arabes ipse scripsit. » Quod verum est (f).

Äque, sed alia quidem via, deerrasse mihi videntur, qui tot Isidores multiplicant, quot ferme opera hujus nomine sciunt inscripta. In quorum numero habeo D. Josephum Pellerizium chronographum regium, mihique, sive prejudicio tamen veritatis, amissimum (dum vivere) caput. Qui in observationibus ad Chronicou, quod superioribus annis primus edit, existimabatque Dulcidii esse Salmanticensis episcopi (Fol. 16), septem non minus agnoscit. Primum Is-

descripsisset Gothorum originem usque ad quintum annum regis Suyntile. Sanctus Ildefonsus descripsit tempora Gothorum. Alanorum. Vandalorum. et Suevorum a quinto anno! Suyntile usque ad octavum decimum Recensyndi. Et Ysidorus junior, qui a principio mundi incipit Cronica! usque ad octavum decimum Recensyndi annum! fideliter prosecutus etiam usque ad destructionem Hispaniæ per Arabes! ipse scripsit: « Quo loco verba saltem illa usque ad octavum decimum Recensyndi annum otiose repetuntur, neque Juniori seu Pacensi Isidoro quadrant; uti nec precedentia qui a principio mundi incipit Cronica.

dorum Cordubensem circa annum 400 ad libros quatuor Regum commentarii, et utriusque Testamenti allegoriarum auctorem. Hunc Pseudo-Dexter in duos divisit (*a*), Cordubensem utrumque episcopum, qui forte nullus usquam unquamve fuit, ut de quinti saeculi scriptoribus loquentes suspicari nos diximus: Pellizeriusque Hispalensi est injurius, qui Allegoriarum librum ei abjudicat.

Secundus ejusdem Isidorus est Hispalensis nuper laudatus, Etymologiarum scriptor. Tertius vero aliis ejusdem sedis episcopus, eo junior, idemque Cesar-Augustanus antistes. Et huic quidem non tantum Chronicon Isidori nomine inscriptum, et ab exordio rerum usque ad Wambanis primum annum continuatum; sed et historiam Alanorum, Wandalorum atque Suevorum Isidoro Hispalensi aequae tribui solitam, adjudicat. In quo inficiat Hispalensi magno Isidoro alteram a Pellizerio injuriam depulsavimus, dum de hujus viri sanctissimi rebus et libris commentaremur. Eoque magis quod non alium nisi hunc Isidorum Ecclesia Hispalensis, nullumque Cesar-Augustana in catalogis suorum episcoporum adnotatum habeant. Remittit quidem hujus dicti sui probationes ad ordinem Gothorum Pellizerius: de quo nihil scripsit, neque eo loci, neque alibi; saltem Chronicon, de quo loquitur, id esse ait quod, tanquam si Isidori Pacensis esset, Pelagius Ovetensis episcopus centoni suo paulo ante laudato intexit; ac Lucas Tudensis, tanquam si magni Isidori esset, continuavit, hoc initio conspicuum: *Brevem temporum seriem per generationes et regna primus ex nostris Julius Africanus*, etc.; quæ quidem præfatio est ad Chronicon, non ipsum Chronicum initium.

Quartus Pellizerii Isidorus ille est, qui *Peccatorem* sese appellans, collectionem epistolarum Decretalium et Conciliorum edidit. Sed neque hunc fuisse usquam forsitan apud nos revera hujus operis auctorem, in Isidorianis quoque rebus adnotatum relinquisimus. Quintus ejusdem Isidorus est Sætabitanus episcopus (*b*), cuius esse inquit liberum De significacione nominum. Sed estne hic idem cum Allegoriarum libro, quem *De nominibus legis et Evangeliorum* Braulio appellat; an glossarium quod Isidori seu Isidorianarum glossarum adnotatur titulo? Amplius interim ab aliquo qui ejus schedis utatur, docendi. Sane auctor hujus Sætabitani episcopi Luitprandus est ad annum 681, cui tamen ille collectionem Conciliorum attribuit. Mirorque Pellizerium in hoc homine constitendo, quod alias minime solet, Luitprando deluisse.

Sextus illi Isidorus Pacensis, de quo nunc sermo, qui scripsit Chronicon Arabum anno 754, quod verissimum est. Septimus tandem Isidorus alter *de Beja* episcopus (cur non *Pacensem* et hunc dixerit ignoramus, cum *Pax* sive *Pax-Julia Beja* sit), quem semper hoc dignitatis nomine Ambrosius Morales passim hujus historiam laudans appellare solet. Cujus esse ait Pellizerius Chronicon quod sic incipit: *Sex diebus rerum omnium creaturarum formavit Deus*: quasi haec non essent ex initio illius Chronicorum verba, cuius præ-

(*a*) Ad ansum 384, n. 8; 423, n. 5; 430.

(*b*) Uter autem fuerit inter cognomines? Nam binos per haec tempora Sætabitanos episcopos Isidores Toletani synodis interfuisse reperi: priorem nimurum qui duodecimæ anno Christi 681 celebratæ decimo quinto loco subscriptit: cui successit Asturius, exstatque ejus subscriptio trigesima quarta ordine in synodo tertia decima anno Christi 683 celebrata: in sequenti autem seu quarta decima Sætabitana sedes vacat; et posteriorem, qui duabus quæ consecutæ sunt synodis decimas quintæ et sextæ decimæ annis 688 et 693 habitus interfuit, et priori quidem quinquagesimus quintus, posteriori autem quadragesimus secundus subscriptit. Neutrius autem horum inter scriptores meminere Julianus, Felix, Honorius, etc.

(*c*) Alibi protulimus e cl. Florezio Joannis Mariana de tribus Isidoris testimonium: nimurum de Cordu-

fationem esse diximus illam antea, uti Chronicorum ab hoc diversi principium, laudata. Saltem hoc ultimum, duos nempe Isidores ejusdem Pacis-Julie episcopos fuisse, alterum epitomes imperatorum et Arabum, qua utimur, auctorem: junioresque alterum qui hanc continuaverit, quaque nos caremus, ex indicio tantum Moralis notum, ut admittamus persuader bona fides candidi hujus historici; et quod is Arabum istum chronographum Isidorum non vidit, posteriorem vero in manibus semper habuit. Nec prior ille vivens et scribens æra 793 sub Constantino Leonis filio imperatore Orientis per ingere vita aut commentariis potuit ad Garsiam Legionis regem atque æram 940 sive annum 902. Si ergo Pseudo-Dexter ac Pellizerio aures dabimus, Isidori duo Cordubenses, duo Hispalenses, duo denique Pacenses erunt, scriptores omnes, ultra illum Sætabitanum. Sed ego scis forte, ut in proverbio est, hodie nihil credam.

Multiplicatione ista nunc afflita, duplique Isidoro, Hispalensi altero, Pacensi altero, junioresque isto respectu illius senioris contenti (*c*), ad alia ejusdem Pacensis opera nos conservamus. Meminit ipse unius, duorumve, ab hac Epitome diversorum, nempe alterius *Epitomæ*, sive *epitomæ temporalis*, ut ex his ejus verbia patet, cum de Orientalium Arabum duce Belgii, et Occidentalium ductore Humeia Abdelmelici filio, inter se prælia ageret. Sed quia nequaque, ait (*d*), eam ignorat omnis Hispania: ideo illa minime recensere tam ystraica (*e*) (sic editum est) bella ista decrevit historia; quia jam in alia epitoma, qualiter cuncta exstiterunt gesta, patenter et paginaliter manent nostro stylo conscripta. Et postea (*f*): Quisquis ergo hujus rei gesta cupit scire, ad singula ad *Epitoma temporalia*, quod dudum collegimus, cuncta reperiet enodata: ubi et prælia Maurorum adversus cultum (Christianum scilicet) dimicantum, cuncta reperiet scripta, et Hispaniae bella eo tempore immimentia relegat adnotata. Ex quibus videtur in hac eum historia prolixe et specialiter de Maurorum cum Gothis, et inter seipso prælia, tractasse.

Aliud ab hoc opus, *Verba dierum sæculi* nuncupatum, significari ab eodem de Arabum a:ihuc mutuis cedibus agente his verbis videtur: Reliqua vero gesta eorum, qualiter pugnando; et nonne haec scripta sunt in libro *Verborum dierum sæculi*, quem Chronicis præteritis ad singula addere procuravimus? Dicas paraleipomena, seu prætermissa quædam in superiorum atitum Chronicis hoc libro contineri. At habuerene ex duobus his aliquem, aut Morales qui toties Pacensi ea tribuit quæ in ejus edita Epitome non leguntur; aut Joannes Mariana, qui ex Isidoro eodem Pacensi constare ait (*Lib. vi, c. 1*) reges nostros a Recaredo descendere, ac (*Lib. vi, c. 21*) postremum regum Gothorum Rodericum exstructum a Witiza parente ejus prope Cordubam urbem palatium amplificasse? quæ duo etiam in Epitome frustra quæsieris. Nil aliud respondebo, quam, ut rem acu tangere possis, exemplia illa, quibus uterque auctor olim fuit usus, consuli oportere. Haec autem de Isidoro Pacensi habuimus dicere.

bensi sive *Seniore*, qui ad annum 420 sub Honorio vixisse, et nonnulla scripsisse creditur, quæ tamen non existant; de *Juniore* sive Hispalensi, ac de Pacensi (qui itidem nonnullis *Junior* respectu priorum audit) Chronicum quo de agimus auctore. Exstat apud Florezium t. VIII, p. 267.

(*d*) *Æra 780*, pag. 21 editionis Sandovalis.

(*e*) *Istrayca bella*, pro *tragica*. In vetusto Etymologiarum Isidori Toletano codice, quem olim cum recentiore alio, et cum Grialii edito contulimus, existant in membrana vacua Musarum nomina et officia, in quibus, legitur:

Tertia Melpomene *tragicos fert Nendo boatus*,  
pro *tragicos*. In Florezii edito t. VIII, pag. 308, num.  
65, *tam tragica bella*.

(*f*) *Æra 781*, pag. 22.